





1647, 6

6

21.

D. O. M. A.

DISPUTATIONEM MEDICAM

De

PHTHISI,

Sub Præsidio

VIRI

Amplissimi, Excellentissimi, atq, Experientissimi

Dn. CHRISTOPHORI SCHEL-
HAMMERI Hamburgensis, Medicinæ D.
præclarissimi, Anat. Chirurg. ac Botan. Profess. P.
eminentissimi,

*Domini, Præceptoris, Evergetæ, Meccenatis ac
Patroni sui omni honoris atq, summo observantia cultu
atatem prosequendi,*

Publicæ placidæque Philiatorum censuræ
submittit.

GEORG-ALBERTUS Buchhorsi/
Göttingâ-Saxo,

*Habebitur ad diem 24 Julii in Auditorio Medicorum
Horis consuetis.*

J E N Æ

E Typographéo Weidneri,
ANNO MDCC XLVII.





DEUS TRINUS BENEVERTAT!



Eploranda humani corporis conditio est, quod tot, & tam variis tentatur affectionibus, tantis subjectum est malis, ut morborum ejus omnium numerum inire difficile, imò impossibile esse videatur. Eorum alii cito pede mortem accelerant; alii vero lentò gradu hominem è mediò tollunt. Posterioris generis putatur $\Phi\theta\iota\sigma\iota\varsigma$, affectus omnium notissimus & gravissimus, cujus

NOMEN origine Græcum, à symptomate maxime evidenti ei inditum est. Dicitur enim à $\Phi\theta\iota\omega$, quod est *contabesco, deficio*; vel $\delta\iota\alpha\tau\omicron\tau\epsilon\varsigma\ \Phi\theta\iota\epsilon\iota\omega$, *absumere, corrumpere*. Quidam $\pi\acute{\iota}\upsilon\sigma\iota\omega$ scribentes, à $\pi\acute{\iota}\upsilon\zeta\omega$ suo accersunt. Quibus cognatum est $\Phi\theta\iota\sigma\iota\varsigma$ vocab. quod à nonnullis pro tabe ex ulcere pulmonum, quemadmodum ex Gal. 7. Aph. 16. 1. Epid. com. 1. t. 18. & Authore definit. Medic. apparet; à nonnullis pro omni consumptione corporis accipitur: Aretæo $\pi\omega\eta\iota$. de causis & sign. diutur. c. 8. vocatur; $\pi\omega\eta\varsigma$ enim vocab. significat *Tabem ex ulcere pulmonum ortam*. Veteres inquit Hölleri Scholiographus S. V. aph. 9. tabem ab Ulcere pulmonum $\mu\epsilon\theta\iota\omega\mu\alpha$ vocabant; duabus, ut habet Höllerus Sect. III. aph. 10. de causis: Ut signum, quia homines tabidi habent aduncos ungues; ut causa, quia absument omnia more Lupi. Paracelso dicitur *Aridura*. Lat. *Tabes*. Germ. *die Dörre oden Schwindsucht*.

Ejus species tres enumerat Celsus l. 3. c. 22. & 1. eam affectionem vocat Phthisin, quæ à Græcis solet appellari $\alpha\tau\gamma\omicron\Phi\iota\alpha$, ubi corpus ob defectum alimentorum non satis nutritur & tandem in maciem abit: In quo significato videtur Aristoteles accepisse 28. probl. 1. Ubi Dionysius, inquit, Tyrannus cum à potu solito aliquando tempore destitisset, $\epsilon\upsilon\theta\upsilon\varsigma\ \epsilon\Phi\theta\iota\sigma\iota\alpha\sigma\epsilon\upsilon$. 2. *Cachexiam* i.e. malum corporis habitum, in quo vitiosa fit corporis



ris nutritio, & alimenta planè corrumpuntur: hacque ratione sub *Φθισι* comprehenduntur *σύντηξις* h. e. colliquatio totius corporis in febr. ardentibus, & *μαρμαρῶς* seu immodica omnium corporis partium consumptio & exsiccatio. 3. Ulcus pulmonum appellat Tabem, cui malo levis febricula, Tussis & excreatio accidit, unde etiam à cæteris differt: Hujus Ulceris respectu sunt, qui *Phthisin* appellant, omnem pulmonis exulcerationem, cui licet adhuc nondum adsit Febris, aut totius consumptio; quia tamen labente tempore, crescenteque ulcere, haud dubiè supervenit, Phthiseos etiam nomen ei indiderunt. Quo sine dubio *Avicenna* illa pertinent, qui *lib. III. fen. x. tract. 5. c. 15.* Phthisicorum vitam nonnunquam à Juventute ad Senectutem extendi, ait. Qui haud dubiè dispositionem ad *Phthisin* vel etiam talem, quæ sine febre est, *Phthisin* intellexit; interim Febrem conjunctam quæ habet, tantam temporis prorogationem non admittit. *Magis* tamen propriè *Phthisis* significat universi corporis *contabescentiam*, sed cum tabifici Ulceris præsentia lentaque febre conjunctam. Nos in præsentiarum de PHTHISI in propriò & ultimo significatò acceptà, DEO DUCE, agemus, quæ

DEFINITUR, Ulcus pulmonum cum febre exiguâ & lentâ, totiusque corporis extenuatione conjunctum.

GENUS morbi ULCUS ponimus; Arbitramur enim Phthiseos propriè dictæ formalem rationem in eo consistere, ut pulmones ulcere tententur: non dubitantes tamen Tabem latâ vocabuli potestate sumtam sæpissimè absque exulceratione pulmonis accidisse. In tribus consistere hunc affectum, *in solutâ unitate, malâ intemperie, & imminutâ magnitudine*, *Hier. Mercurialis l. 2. de affect. Thor. & part. huic annex. docet.* Ubi *1. solutam unitatem* pro Genere ponit; quia adest Ulcus, quod definiente *Sennert. l. 2. p. 1. c. 10. Inst. Med.* est soluta continuitas partium carnosarum, aliarumque his ob mollitiem cognatarum, ab erosione ortum habens. 2. addit *malam intemperiem* i. e. *febrem*, quæ semper ex suâ naturâ calida & sicca; primò quidem putrida, sed tandem in Hecticam mutatur: Et 3. *imminutam magnitudinem* h. e. totius corporis extenuationem. Horum

rum

rum tam diversorum, qui in Phthisi συνδραμῶν faciunt, affectuum respectu, ad diversa tabes genera refertur. Alii enim nominis significationem externamque corporis absumptionem respicientes, *Phthisin* morbum esse καὶ τὸ μέγεθος, diminutionem scil. quantitatis dixerunt *Sen. l. 2. p. 1. c. 8.* Alii siccitatem corporis immodicam, cum calore præternaturali junctam intuentes, Intemperiei morbum Phthisin crediderunt. A quibus diversum sentiens *Fern. 1. patholog. c. 6. & II. de abditis causis II.* quod in Phthisi nonnullam senserit cum morbis occultarum qualitatum convenientiam; Eam in censum morborum *Totius Substantia* refert.

Nos verò ipsam, à qua pendent omnia hæc mala, originem considerantes, ad continui solutionem ἔλκωσιν à succorum κακοχυμῶν acri & mordaci qualitate pulmonum substantiam erodentium, factam Phthisin referimus. Ab hac erosione cum suppuratio & sanies in pulmonis bronchiis infarctæ consistat, cumque non rarò maxima ipsius visceris portio absumatur, non potest non motus pulmonum, ipsaque respiratio diminui, adeò ut calori cordis ventilando satis esse non possit. Unde aucto igne accensoque à putridis & calidis, quæ undique ad vitæ sedem feruntur, vaporibus corde, **FEBRIS HECTICA** & *Contabescencia totius* consequitur.

SUBJECTUM seu **PARS AFFECTA** sunt **PULMONES**, cum suis partibus, parenchymate, substantia carnosâ, bronchiis, vasis, & membranis, quæ ab acris humoribus pati & exulcerari possunt. Nonnunquam quidem in internis pulmonum partibus existente ulcere, uti meminimus aperto Phthisci post mortem thorace, cum externus pulmonum habitus ad speciem salvus esset, immisso in visceris interiora cultro copiosissimam purulentæ materiæ quantitatem promanasse. Nonnunquam vero exterius ulcus est, & ab externis incipiens corruptio ad interiora procedit; Talis fuit misera diligentissimi Theol. studiosi conditio, qui cum ante annos abhinc duos *Phthisi consummatâ* correptus, fatis functus esset; Pulmonem dextrum, dissecto thorace exterius maximo fatidissimoque ulcere ad medium ferè absumptum ostendit. *Per consensum verò*

semper COR & totum corpus laborant: neque enim fieri potest, ut totum corpus absumatur, Tabesque oriatur, nisi COR, fons caloris & spiritus afficiatur. Gal. c. 1. l. de Marasmo. Et corpus quidem exsiccat in principio *Φθίσεως* quoad humiditatem roridam solidorum corporum, deinde solidæ partes ipsæ exsiccantur, COR tamen non exsiccat secundum proportionem totius corporis, quoniam natura studiosissima vitæ animalium hoc quàm diutissimè ab omni insigni exsiccatione conservat. Unde *Phthisi* consumpti sæpè parùm læsam CORDIS substantiam in dissectione præ se tulerunt.

CAUSAM IMMEDIATAM Ulceris hujus constitui-
mus, quæcunque acrimoniâ vel putredine suâ pulmonis sub-
stantiam erodere & corrumpere possunt. *Humores acres &*
putridi; Acres humores sunt saluginosi, pituitosi & serosi illi,
qui porosam raramque pulmonis substantiam mordacitate
suâ adoriuntur. *Putridi* verò evadunt, qui in imbecillo pul-
mone diutiùs detenti, & ob expultricis imbecillitatem non
excreti foedos sæpè pariunt abscessus; Illi verò nonnunquam
in ipsa *pulmonum substantiâ* colliguntur; nonnunquam in ca-
pite coacervantur, & in thoracem delabuntur, ut sæpè proprio
Pulmo viscere mali mineram complectatur, & per *πνεύματι-
δα* afficiatur; sæpè verò aliunde causa morbi in pulmonem
derivetur, eumque per *δύσπνεύματιδα* afficiat. Utramque hanc
causæ morbificæ in Thoracem colligendæ rationem conjungit
Gal. comm. 1. in l. Hipp. de morb. vulg. t. 18. à stationibus acrium
humorum à capite & ipsius imbecillitate oriri *Φθίσεως* insinu-
ans: quod sine dubio ex *Hipp.* hausit, qui in *Coacis II. Progn.*
2. Maximè periculosas esse ait Tabes, quæ ex ruptione vena-
rum Pulmonis, & destillationibus oriuntur. Quomodo verò
tabes ab hac causâ fiat, explicatur eleganter ab *Hippocrate l. de
glandul.* ubi scribit, pituitam descendantem à capite in pulmo-
nes, in ipsis interdum retineri & retentam putrescere, (*eadem
ratio cum sanguine in pulmonibus retento*) putrescentem verò exe-
dere pulmones, atque iis exulceratis fieri Tabem. Atque de
hac loquitur idem *7. Aph. 38.* quando scribit, si pituita in pul-
monem delabens 20. die detineatur eam in pus converti.

CAU-

CAUSÆ MEDIATÆ aliæ sunt i. NATURALES, inter
quas est SEXUS MULIEBRIS, quem *Gal. 3. Epid. comm. 3. t. 70.*
maximè dispositum esse ad *Phthisin* scribit, cum humidissima
habeant corpora, ideoq; fluxionibus obnoxia, & uti *Hierony-
mus Mercurialis* explicat, ubi illæ humiditates in pulmones ali-
oqui humidos præcipitantur, repentè putrescunt, & ex putredi-
ne Tabem faciunt. ÆTAS JUVENILIS admodum in *Phthisin*
proclivis est, ut habet *Hipp. 3. Aph. 29.* Juvenes autem ad san-
guinis spuitionem & tabem dispositos esse inquit *Heurn. in
comm.* vel ex ætatis naturâ, ut ratione sanguinis multi & ebul-
lientis, qui facit, ut rumpat venula aliqua, vel ex accidenti, ut
ex vulnere, venis apertis, exesis, ab ictu, contusione, saltu, vo-
ciferatione, vel quod sub Sole vel humi cubaverint, vel acri-
diata. Huc quoque refertur *Aph. Hipp. 9. l. V.* Item in *Coacis
prænot. 439.* Tabem maximè periclitantur ætates ab anno 18. ad
trigesimum quintum: quod *Hipp. Heurn. in comm.* ita explicat:
Juvenes verò tabi sunt obnoxii, tum ratione ætatis perfectæ,
utpote quæ jam consistat, nec amplius crescat, proptereaque
sanguine abundet, ac plethorâ laboret: tum ratione diætæ in-
periculo tabis sunt, à vasorum pulmonum rptione, erosione
apertione; Ita hi per se ex eventu tabi sunt obnoxii. Eodem
sensu etiam idem *de internis aff. S. V.* His verò de causis præ-
cipuè divelluntur, & perumpuntur venæ, vehementi exercita-
tione, cursu, vita intemperante, quo utuntur Juvenes, per ca-
sum, per plagas, per violentos motus &c. Minoribus verò in-
nutricatum facessit sanguis: Annosioribus autem jam ætate
exhaustus est sanguis, corpusque algiosum redditur & cautè
vivunt.

DISPOSITIO NATVRALIS PVLMONIS & THORA-
CIS totius huc facit, per quam hîc non intelligimus morbo-
sam constitutionem aliquam, sed mollem ac tenellam à primo
ortu pulmonibus concessam substantiam. Qui non tantum
spongiosi & porosi, atq; adeò natura sunt ad recipiendos acres
humores, patiendamque erosionem procliviores; sed perpetuò
etiam stagnante in thorace aquoso sero irrigantur, semper ma-
didi, nunquam ficci, atque ideo ad sanationem ejusmodi ulce-
rum in illis exortorum sunt ineptiores. Qui-

Quibus si HÆREDITARIA quædam ex semine parentum à primò ortu contracta dispositio accedat, longè facilior in hunc affectum lapsus esse solet. Hinc qui tabida stirpe sati, quasi hæreditario jure omnes ferè tabe marcescunt. *Hipp. l. de aer. aq. loc.* Sic, verba sunt *Fernelii*, plerique ab ipso ortu, & à parentibus latente pulmonum vitiò tenentur, quo tandem omnes contabescunt, etiamsi nulla, aut certè minima à capite destillatio, aut aliunde procumbat. Unde qui tabidâ stirpe sati sunt, quasi hæreditario jure necessariò tabe marcescunt, hocq; malum sæpè in omnes ejusdem familiæ ordine qf. grassari videtur. Hoc confirmat *Gal. 4. de loc. aff. cap. ult.* ubi nonnullos citra manifestum pulmonum ulcus Phthisicorum more decessisse commemorat, qui primò flava quædam non acria, deinde purulenta, tandem etiam pulmonis particulas exspuerint, sine omni cruore aut hoc admodû exiguò. Etsi enim in talibus neq; vas ullum ruptum sit, neque aliunde etiam in pulmonem humor effundatur, tamen ob innatam debilitatem humor acris colligitur in eo, qui tandem pulmonis substantiam corrumpit, & ulceri simile quid inducit, unde meritò ad *Phthisin* hic affectus refertur.

Huc pertinet corporis habitus *phthisicus*, qualis est illorum, quos *Hipp. 3. Epid. text. 70. & 6. Epid. com. 3. t. 18.* *Ἰνωδεις* seu *ἠεγυώδεις* appellat i. e. tabificos sive alatos, quibus scapulae in modum alarum prominent, qui non propter temperamentum, sed vitiosam thoracis figuram tabi sunt obnoxii; quique adeo, ut *Gal. 1. Epid. comm. 1. t. 18.* declarat, sunt angusto thorace & restrictò, collo oblongo, ut à tergo in morem alarum promineant aperta scoptula. Vnde etiam hos *ἠεγυώδεις* quasi alatos vocant. Præterea quibus caput facilè impletur, quodque spiritus organis multas destillationes demittit, hi facilè tabescunt. Hæc si ambo in unum coeant, & *thoracis figura & capitis imbecillitas*, eò faciliùs Tabem inferunt. Etenim hi, quorum caput ad pulmones mittit fluxiones, diuturnitate fiunt tabidi, ac in pulmone ipsis interdum rumpitur vas propter visceris angustiam & infirmitatem. Quod ipsum etiam *Fernelius l. 5. de part. morb. & sympt.* Qui naturâ pectus angustum

at-

atque depressum obtinent, hi sunt in tabem procliviores, ho-
rumque natura, ut inquit *Hippocrates*, ad *Phlog* vergit: Quo-
niam enim distendi pulmones & debito modo moveri in an-
gusto thorace non valent; fit, ut his conclusi angustiis magis &
magis debilitentur, neque quod molestum est excernere, neque
accensum cordis calorem rectè ventilare possint.

INTER RES NON-NATURALES, Constitutio AERIS
summè frigida huc facit, ob quam vasa Thoracis & respiratio-
nis rumpuntur, juxta *Hipp. 5. Aph. 24.* Frigida, cujusmodi sunt,
nix, glacies, pectori inimica, tusses movent, sanguinis proflu-
via cient, & catarrhos excitant; *Heurnius in comm.* meminit
Juvenis cujusdam, qui postquam frigido aëri nimio ex saltu
sudore perfusus, aperto thorace se exposuisset, inde obiit. Quo-
niam enim tamdiu vivimus, quamdiu beatum hunc spiritum
ducimus: vitaque hæc aëris in pulmones attractione carere
non potest: dici nequit, quantum pulmones ab inspirato fri-
gido aëre alterentur, quantum ad hunc affectum dispositi à fri-
gidissimâ, quem thorace recipiant, inspiratione lædantur.
Quamvis enim ipsum frigus per se rupturas non faciat, quia
tamen venarum tunicas frigiditate sua duras, & extendi con-
tumaces reddit, ut rumpantur paratiores efficit, ut *Galenus tra-*
dit l. 5. de loc. aff. c. 8.

Deinde *Æstas Sicca & Aquilonia*, quam subsequitur
Autumnus Pluviosus & Austrinus, qui suâ inæqualitate
frigoris & caloris acutas & fallas destillationes mo-
vet, propensosque ad *Phlog* insigniter lædit, unde *Hipp. 3.*
Aph. 10. Autumnus & tabidis exitio esse solet. *Ibidem Aph. 13.*
Sin autem æstas sicca fuerit & aquilonia, autumnus contra
pluviosus & australis, cephalalgia fortis ad hyemem fiunt, &
tusses, raucedines, nonnullis autem & tabes; & *Aph. 22.* Autu-
mno æstivos morbos & febres quartanas & erraticas, aquam
inter cutem & Phthisin &c. fieri. Causam verò, quod tempus
autumnale Phthisicis ita sit obnoxium, quàm optimè **CLARISS.**
atque **EXCELL. CONRINGIUS** *Præceptor atq; Promotor meus* atatè
summè observ. in prælectionibus publicis explicat, i. quod aër hu-
midior, qui ulcus reddit sordidum; æstas verò & omnis aër sic-

B cus

cus prodest Phthificis, unde etiam ad *Tabias* missi curati fuere.
2. Quod tempore Autumni soleant fieri multæ defluxiones,
quæ augent *hecticam*, *hecticâ* verò auctâ tandem sequitur *Mors*.

Huc pertinet quoque *Constitutio* nimis *Calida & Hu-*
mida, cujus calore humores cerebri copiosi & acres resol-
vuntur, fluxionesque ad pulmones mittuntur. *Hipp. 3. Epid.*
S. 3. Quo referuntur & regionum constitutiones, quæ *Hu-*
mida & Frigida hujus effectus germanæ sunt, ut *Arætausl. 1. de*
sign. & diut. causis, c. 8. loquitur; fumi metallorum & mora
in specubus subterraneis.

Non incommodè etiam huc refertur *Contagium*,
quod agnoscens in hoc morbo *Hipp. 11. Epid. 3.* & *Aristoteles 7.*
Probl. 4. rectissimè *Ἐπιου* inter morbos *contagiosos* recensent,
quemadmodum etiam *Gal. 1. de diff. febr. c. 2.* scribit, periculo-
sam, nec satis tutam esse conversationem cum iis, qui *Phthisi*
laborant, cum *μιάσματα*, quæ Phthifici exhalant, ab aliis cum
aere in pulmones attracta similem dispositionem inducant,
pulmonisque ulcus excitare queant: non modò quod putri-
dum quid per os exhalent, verùm etiam, quod per *ἀδὴλον ἄε-*
ρωω, cum & spiritus & sanguis sint infecti, communicari
morbus queat. Hinc non rarò *Phthysicorum* sudor graviter
olet, adeoque nec condormitio, neque omnis conversatio
cum *Phthificis* tuta sit: Id quod annotasse videtur *Plinius*
lib. 7. c. 2. qui ait: quod in *Æthiopiâ* vivat *Gens* quædam
Parnaca dicta, cujus sudor solo contactu tabem inducit.
Non tamen simpliciter probamus sententiam *Massaria & Eus-*
tachii Rhodii, qui mirabili ratione ad parietes, trabes & univer-
sum cubiculum *contagium* hoc transire, aut à mortuis *Phthificis*
timendum esse credunt: quamvis non impossibile judicemus,
in aliis affectibus, quibus venenata qualitas contagio juncta
est, per res inanimatas *contagium* propagari.

Hunc deinde sequuntur 2. *Cibi Potusq;* acres & sal-
si, calidi & sicci, & qui caput ejusmodi vaporibus replent, vim-
que igneam, acrem, & urentem habent, ut sinapi, cæpa, allium,
porrum, omnia salsa, carnes fumo indurata, acetum immoder-
aciùs sumptum. Idem faciunt medicamenta acria & eroden-

tia ad pulmones delata; Sunt etiam nonnulla, quæ proprietate & occultâ qualitate pulmonibus officiant, ut *Gal. 1. de medic. c. 7.* de lepore marino scribit, ipsum nempe singulari proprietate pulmones exulcerare, & sic *Phthisin* inferre.

3. Si *evacuaciones naturales* & *consuetæ* supra naturæ modum retineantur, vel etiam supprimantur, ut notat *Hipp. 1. in mensib. suppressis l. 1. de morbis mulier.* Nonnullis mulieribus, inquit, cum menses duorum mensium spatio in uteris existerent; Ubi intercepti fuerint, ad pulmones feruntur, eademque omnia bis contingunt, quæ in tabe dicta sunt. 2. In hæmorrhoidibus obstructis *Aph. 12. l. 6.* Si quis hæmorrhoides diurnas sistere velit, nisi una fluere sinatur, hydropis vel tabis metum affert: Item *purgationes validæ, vomitus difficilis*, dum ob vehementem ventriculi commotionem irritantur *pulmones*, & sic malum augetur.

4. *Somnus* & *Vigilia*, utraq; si immoderata existunt *Hipp. 2. Aph. 3.* Ille calorem nativum & spiritus obtundit, vires enervat, & cruditates parit. Hæ spiritus calorem nimium dissipant, concoctiones impediunt, cruditates generant, corpusq; extenuant &c.

5. *Exercitium immodicum* in primis post cibum, & quæ *vasa Pulmonum* rumpere possunt, ut *Thoracis contusio*, nimia *vocis intentio*, nimius motus à partu, & similes, pectoris vulnera penetrantia. Unde *Hipp. 1. de aère, aq. & loc. Tabem* etiam frequenter à partu contingere meminit.

Ultimo & *animi pathemata* præsertim *Ira*, *Gaudium*, *Tristitia*, *Timor*, si modum excedunt, hujus affectus causæ esse possunt.

RES PRÆTER NATURALES non minus ad morbum hunc accelerandum faciunt. Ita *Hæmoptysin* in *Phthisin* mutari quotidiana fermè docent exempla: quoties nimirum sanguis per *αισθρωσιον* aut *Αεπιθρσιον*, *πίξιν* vel *Αερίσειον* à quacunque causa eductus, & è venis elapsus alicubi in *Pulmone* subsistit, neque tussi ejicitur, tandem enim putrescens in *Ulcus Pulmonis* transit. *Pleuritico* sæpius judicio fallit falsum salutis specimen: siquidem *punctorio dolore lateris evanescente*, omnia

enta putant; quâ tamen spe frustratos se animadvertunt, ubi sentiunt febrim non remittere, respirationis difficultatem augeri, imò propter translata à membranâ costas succingente, ad *Pulmones* materiam, *Phthisi* se obnoxios esse. Quò pertinet elegantissimus *Hipp. locus V. Aph. XV.* à Pleuritide suppuratâ in thoracis cavitatem effusâ, materia nisi quadraginta diebus screatu purgetur, à quo ruptio fuit facta, in tabem transire affectum.

A Peripneumoniâ, hoc est, *Pulmonis* inflammatione *Phthi-*
sin oriri frequentissimum est: quoties nimirum inflammatio-
nis tumor factâ suppuratione in *Ulcus* transit. Ab *ANGINA*
sive suppurata sive mutata in *Peripneumoniâ* ulcus *Pulmonis*
oriri facilè est. Id quod colligitur ex *Hipp. V. Aph. 10. & V. coac-*
car. prenot. 15. ubi ait: quicumque ab *Anginosi* fiunt *Peripneu-*
monici septem diebus moriuntur: Si verò hos superaverint,
suppurati fiunt. Commodè quoque ad causas p.n. refertur læ-
sio seu abscissio columellæ, ut testatum facit ipse *Gal. II. usupar-*
tium c. II. quod nonnulli, quibus *Columella* ad basin usque es-
set abscissa, non modò deterius perspiciuè sint locuti, verum et-
jam frigidiorē senserint inspirationem, & sic pulmone &
thorace refrigerato perierint; quod ipsum & *C. Baubinus* anno-
tavit in *Mercatore* quodam, cui gargareon ab acrium humo-
rum defluxu absumptus, & corpus inde tabidum redditum est:
Ufus enim hujus uvulæ est, inspirati aëris impetum sistere,
ne subito in pulmones irruat, eosq; frigiditate suâ afficiat. Et
tantum de causis.

DIFFERENTIÆ variæ possunt afferri, *Hipp. lib. de affe-*
ctionibus internis tres ejus species enumerat, quarum prima à pi-
tuita salsa & putrida in capite computrefactâ, & ad pulmonem
delabente oritur, quam ubi pulmo susceperit, confestim mor-
bo afficitur, & à pituitâ mordetur. Altera ex vehementi labore
originem trahit, quam tamen per æstatem remittere, & priore
leviorem esse scribit. Tertiam speciem à spinali medulla san-
gvine plena dependere scribit, quam ipsam *II. de Morbis Tabem*
dorsalem appellat. Qua generali *Tabis* distinctione etiam illas
ejus species, quibus *improprie* nomen hoc tribuitur, complexus
esse videtur. Nos

Nos verò melioris doctrinæ gratiâ differentias desume-
mus

1. A GENERE, i. e. *Ulcerē*, quod est vel parvum vel ma-
gnum, vel superficiale vel profundum, vel corrodens vel sine
corrosione, vel purulentum vel fordidum, vel virulentum
vel verminosum, ut habet *Fern. l. 7. c. 9.* aut alterius condi-
tionis.

A SUBJECTO: alia Substantiam Pulmonum, ipsumque
Parenchyma afficit, idque modò in dextrâ, modò in sinistrâ
Pulmonis parte ulcere exorso, alia à bronchiis, vase & membra-
nis, quæ ab acribus & corrosivis humoribus faciliè exulcerari
possunt, incipit; Dubium tamen non est, quin altero affecto,
alterius quoque corruptio facillimè eveniat.

A CAUSIS, quæ ut variæ ita varias quoque differentias
suppeditant, præcipuæ tamen videntur, quod vel ab acribus
humoribus in pulmonibus contentis, & ibi collectis, vel ex sal-
sâ capitis destillatione, aut catarrho aliunde delabente ad pul-
mones, vel ex vitiosis humoribus, qui in toto continentur cor-
pore, vel ex pure contentò in thorace & suppuratione, vel sum-
pto erodente veneno, aut demum ex maligno & latente jure
hereditariò *Phthisis* originem trahat.

SIGNA sunt vel DIAGNOSTICA vel PROGNO-
STICA.

DIAGNOSTICA quod attinet, ea non sunt nihili ha-
benda. Utcunque enim confirmatam *Phthisin* dignoscere
difficile non sit; incipientem tamen agnoscere, & ab aliis dis-
tingvere affectibus, adeò planum non est, ut peritissimis etiam
MEDICIS imponat. Melioris itaque ordinis gratiâ eâ distin-
guemus,

1. RATIONE GENERIS, h. e. *Ulceris pulmonis*, cujus
manifestissimum & pathognomicum signum est pus, quod per
tussim eicitur: Sed quoniam pituita crassa admodum similis
est puri, adeò ferè ut difficulter discerni possint; *Avicenna* duo
tradit signa, quibus pituitam à pure liceat discernere *10. 3. tr. 4.*
17. primùm ex odore, utrumque enim & pus & pituita, si proje-
ctantur in ignem, pus fetidum reddit odorem, pituita nulla-

tenus. *Secundum ex pondere*, quia si utrumque ponatur in aqua, secundum *Hippocr. in Coacis 435.* marinâ in aëneo vase, pus descendit, & fundum petit: pituita verò non modò non ad fundum tendit; sed aquæ supernatat. Quòd tamen posterius non perpetuò verum sit, *Experientia* testatur, cum ipsa quoque pituita crassa & omninò concocta ad fundum descendat: Neque prius putamus simpliciter esse verum, quia pituita igni injecta æquè fætidum de se mittit odorem. Alii alia addunt signa, à colore, ut inquit *Zacutus Lusitanus l. 8. c. 10.* puris cineritius est, sive ad subcitrinum declinans, vel ut alii explicant albus cum quadam citrinitate ab extraneo & adurente calore acquisita, in pituitâ autem simpliciter albus. Pus etiâ baculo agitatum in minutissimas dividitur partes, sed pituita substantiâ lentâ est, nec se patitur dividi in partes, pus autem dum commovetur, facilè dividitur & separatur, utpote quòd materia quædam adusta sit. Sed ultimum hoc reliquis certius habendum est signum, quando nimirum sputa non tantum carbonibus imposita, verum etiâ sine igne, & ab ægro & ab adstantibus graveolentia deprehenduntur. His itaque signis, nisi *collectivè* sumantur, non ita simpliciter fidem habendam esse arbitramur.

RATIONE SUBJECTI. *Hippocrates V. Aph. 13.* affecti pulmonis certum arbitratur indicium, si tussiendo aliena substantia rejiciatur. Qui spumantem sanguinem, inquit, tussiendo excreant, è pulmonibus talis exclusio fit. Non tamen semper *Tussis* pulmonis affecti indicium, neque semper pulmone affecto tussis orta. Ita *Argentarius* commemorat, conjugem suam è ferinâ destillatione *Phthisi* afflictam, saniam, purulentamque materiam à pulmone sine tussi rejecisse, donec tandem morbi mole substrata morti succubuerit. Visi qui ab Hepatis tumore septo depresso tussi continuâ divexati, corpore toto adeò consumpti sunt, ut pro *Phthisicis* ab omnibus habiti fuerint. Idem tamen remediis pulmonum ulceri convenientibus frustra administratis, deobstruentibus curato Jecoris tumore sanitati redditi sunt. Neque etiâ ubi ægrotum cum tussibus pus rejicere videris, continuò *Phthisicum* dixeris, aliàs enim omnes

omnes, qui ex suppuratâ *Pleuritide* Empyi facti, supra purgantur, à Pulmonum ulcere contabescere falsò iudicaveris.

Non pauci, inquit *Gal. l. 4. de loc. aff. c. 6. & 9.* affecti pulmonis quasdam particulas simul cum sanguine eiecerunt: Quocirca diligenter considerare oportet, an spumosum quippiam simul educatur; Id enim efficacissimum erit signum ex pulmone factam fuisse excretionem. Interdum etiam putrida pulmonum portio, bronchiorum ac vasorum pulmonis ramenta atque crustulæ tussi rejiciuntur, ut habet *Gal. l. 1. de loc. aff. 5.* Orro etiam in asperâ arteriâ ulcere, præterquam quòd sputum purulentum apparet, dolorem quoque in loco affecto laborans sentire consuevit: ipsum verò per ea, quæ screantur, quia exigua sunt, ab ulcere quod in pulmone natum est, discerni potest: quippe ab ulceribus pulmonum plus sputi rejicitur, atque ut ex pulmone educta particula visceris ipsius ulcerationem significat, ita ex gutture visum interdum corpusculum aliquod ab *Epiglottide* per ulcerationem excreari. Id verò non solum hoc indicioprehenditur, verum etiam ex eo, quod in ulcerato gutture doloris sensu laborans infestatur, pulmonum verò ulcera dolor non comitatur, nisi admodum hebes & exiguus.

ACTIONUM LÆSARUM / RATIONE Pulsus modò parvus, modò languidus, modò mollis, & modicè celer atque hecticus *Gal. 4. de caus. puls. 11.* Deinde, si adest *tussis frequens & molesta*, in primis à sumpto cibo & per noctem, sed exigui doloris, nisi exulcerata sit aspera arteria, quod pulmonum caro insensibilis sit, *Gal. 4. de l. aff. 5.* Delirium quoque adest, mente enim solent vacillare, in primis quando morti vicini sunt, *Hipp. 5. Epid. & Rhaf. l. 4. conf.* Visus debilitas, eò quod spirituum inopiâ ob consumptionem laborant. *Difficultas Respirationis* hùc quoque non incommodè referri potest, ut habet *Hipp. Coacar. prenot. 1. l. de loc. in hom.* quam tamen *Hieron. Mercurialis l. 2. de Thor. aff.* putat esse facilem, cum sic inquit: *Ἐπίσσις* propriè non habet anhelitus difficultatem, imò facilem anhelitum. Sed cum tres difficilis Respirationis à *Gal.* proponantur causæ *4. de loc. aff. c. 7.* Vehmens in corde pulmoneque calor, virium

imò

Imbecillitas, & viarum spiritus angustia, & omnes in hoc affectu reperiantur, de difficilis Respirationis præsentia nullatenus dubitandum. Quod etiam confirmat *Sennertus l. 2. prax. p. 3. c. 12.* quando *Phthisis* commemorando signa diagnostica, sic pergit; Respiratio est difficilis non solum ob facultatis imbecillitatem, sed & quia bronchia pulmonis obstruuntur, tum ob puris copiam, quæ ab ulcere in ea transmittitur, tum ob multa excrementa, quæ in pulmone debilitato colliguntur. *Vox rauca* sæpius cum *Phthisi* copulatur, quod aspera arteria, ob crebram purulentæ materiæ cum tussi ejectionem exasperata & inæqualis reddita, vel etiam exsiccata sit.

EXCRETORUM RATIONE occurrunt I. *Sudor*, *Phthi-*fici solent sudare facile, eò quod facultas retentrix eorum valde est debilis, quæ naturales humores & excrementitios retinere nequit. II. *Urina*, quæ nonnunquam est naturalis, nonnunquam verò oleaginosa, ob colliquationem, *Hipp. II. progn.* Pingvedo, quæ in urinis supernatat telis araneorum similis, hominem tabe consumi significat. III. *Sordes alvi*, alvus enim interdum laxa & fluida, interdum suppressa & dura, quia facultas expultrix ob nimiam imbecillitatem justo non potest tempore excernere *Hipp. 5. Epid. 4.* IV. *Involuntarium seminis profusivum*, cui hoc morbo affecti obnoxii esse solent. Quia, in ipsis fiunt *colliquationes acres*, quæ ad vasa spermatica pertinentes excreticem facultatem stimulant *Arist. 5. Probl. 35.* V. Pertinet etiam huc *Capillorum defluxivum*, ob humiditatis, alimenti quæ corruptionem & penuriam. VI. *Pediculi* etiam ob corruptionem excrementorum factam à calore putredinali & febrili copiosè generantur.

QUALITATUM MUTATARUM RATIONE sequentia capiuntur signa: *Febris* orta ab ulcere, initio quidem putrida, sed tandem in *HECTICAM* mutata, totius corporis partes tam spermaticas, quam sanguineas calore & macie consumit: calor etiam magis magisque in volâ manus unâ atque alterâ horâ post sumptum cibum intenditur, atque exacerbatur. Collum fit longius, unde Epiglottis prominet: Nasus apparet acutus, oculi concavi, tempora adstricta sive collapsa, aures quæ fri-

frigida contractaque & fibra earum versa, cutis in fronte dura, sicca, rugosa, & color totius corporis viridis & niger, quæ facies ab Hipp. l. 1. Progn. 5. & 6. describitur, & vocatur facies Hippocratica. Fauces sono implentur, & quasi per arundinem sibilum reddunt, Hipp. l. de intern. aff. Mala livescunt, nisi quod à sumpto cibo vaporibus sursum elevatis, rubeant. Non tamen perpetuum est hoc signum, quod à macilento & cada-veroso habito desumitur; Sæpissimè enim corpulenti nullis faciei Hippocraticæ notis apparentibus hoc affectu suffocati interierunt. Cujus rei testimonium habes apud Hippocr. VII. Epid. Historiâ de Polycratis uxore, quæ Phthisi obiit, ubi ait: Facies boni coloris, in genis rubor, non abundè coloratus, sed moderatè floridus: Ut plurimum tamen ab Hæctica Febri carnosus corporis habitus consumitur. Noctu etiam magis molestat, quàm die, idque tribus de causis, 1. quia majores fiunt colliquationes, 2. ob majores & copiosiores evaporationes, 3. quia noctu ob silentium & quietem à diurnis curis cuncta acerbiora videntur, quàm die, Mercurialis l. 2. de thor. aff. c. 6.

SIGNA PROGNOSTICA desumemus iterum à GENERE, quod est Ulcus, in initio quidem sanationem suscipiens, in confirmatâ minimè, vel admodum difficulter. Id quod non tantum Galenus, verum etiam suò Alex. Massariæ testimonio confirmat, l. 2. pr. Med. c. 7. sic scribens: Multa dicuntur & scribuntur à Medicis, sed uno verbo ego quidem censeo, neminem, qui verè sit Phthysicus, unquam sanatum fuisse, neque posse deinceps sanari. Et certè verosimile admodum est, Ulcus difficulter consolidari posse 1. Ob continuum motum, tussim scilicet & respirationem, quæ duo sine motione, labore, & dilatatione visceris perfici non possunt: jam verò, quæ sanari debent, ulcera, necesse est, ut in quiete permaneant; 2. Ob locum remotissimum, quo medicamenta ad ulcera pulmonis curanda accommodata integris viribus penetrare nequeunt, vel si attingunt, efficacia ipsorum longo intervallo debilitatur. 3. FEBRIS & hanc sequens totius corporis extenuatio reddit curationem ulceris difficilem. Febris enim & macies humectantia postulant, quæ ulceratis pulmonibus sunt noxia, contra ulcus deter-

C gen-

gentia & exsiccantia; quae adjuncta Febri & Extenuationi corporis maximè sunt perniciofa. Idem fermè sentiens Galenus 5. meth. 8. scribit, veteres Medicos de Phthificorum sanatione fovisse opiniones dissentientes; Siquidem nonnulli existimabant, quod Ulceris curatio non tantum sit difficilis, verùm etiam planè impossibilis; Eoque tum ratione, tum experientia inducti: *Ratione*, quia pulmo propter anhelitum perpetuò sit in motu: *Experientia*, quod neminem unquam eorum, qui ita affecti sunt, sanatum viderint.

Idem tamen non omnem salutis spem videtur auferre, 4. de loc. aff. c. 5. ubi inquit, *Ulcus pulmonum* creberrimè fieri atque curationem, ut quibusdam videtur, nequaquam admittere: aut, ut alii putant, difficulter admodum sanari. Quod verò in pulmone jam longo tempore permanfit, quamvis aliquando curetur, relinquitur tamen in ipso res quaedam callosa, fistulosaq; quae tractu temporis à levi occasione excoriatur, sicque malum recrudescit: Et 5. meth. 8. concludit, quod ruptis vasis pulmonum, nisi statim, antequam *phlegmone* accedat, ulcus consolidetur, exigua sanationis spes supersit. Quod verò *phlegmone* accedente ejusmodi ulcera, vel difficulter, vel planè nunquam curari possint, ratio est, quod, dum *phlegmone* solvitur, pus & sanies ex pulmonibus, sicuti fit laborante utero & vesica, ex quibus partibus pus & sanies facilè elabi & elui possunt, satis expurgari nequeant; cum in *Phthisi* nulla alia purgationis ratio relinquatur, quam ea, quae fit *tussi*; vel si sanentur, levi tamen occasione, callò iterum excoriato, recrudescunt.

RATIONE SUBJECTI. Nonnunquam ipsa pulmonis substantia, imò tertia vel etiam dimidia ejus portio, putredine planè corrupta, *tussi* ejicitur, ingentemque factorem de se spargit, ita ut aeger & adstantes grave olentiam absq; insigni sanitatis noxà tolerare, aëremque tam gravi odore contaminatum, perferre vix possint, quod ipsum mortale omninò signum esse solet.

RATIONE CAUSARUM. *Ulcus ex erosione* in pulmone factum valdè periculosum & ferè insanabile est. Gal. 5. M. M. c. 14. Ex iis, qui *Ulcus* in pulmone habent, ii demum insanabi-

les

les mihi videntur, qui ex succi vitiosi erosionē id possident, quorum aliqui ceu falsilaginem sputum suum se sentire ajunt. 2. *Nativa pulmonum debilitas*, & à primo ortu cum semine in prolem translata, hūc refertur, ut enim ex Epileptico haud rarō Epilepticus, ex Podagrico Podagricus, ex Cæco Cæcus, ex Calculoso Calculosus, ex Catarrhoso Catarrhosus generari potest, ita ex Phthisico Phthisicus regignitur, semen enim à sanis sanum, ab ægrotis morbidum provenire non est dubium. Si itaque sit morbus *hereditarius*, prædicimus, vix perfectè eum curatum iri; sed tantum, ne malum ulterius serpat, præservari posse.

RATIONE ÆTATIS; Juvenes & pueri pingves, carnosī & mulieres frequentius Tabæ corripuntur, sed sæpius tamen eandem salutarem experiuntur: contra verò senes rarissimè quidem Phthisi tentantur, attamen si eā infestentur, non perdurant, sed tabidi obeunt, ut *Aretæus* docet. *Juvenes* quam frequentissimè ea tentari, firmissimo comprobat testimonio ipse *Hipp. Aph. 9. l. 5.* quod ipsum *Avicenna* confirmat 3. *F. 10. tr. 5 c. 18.* quo loco tamen eosdem omnium facillimè sanari tradit, quia videlicet naturales virtutes, à quibus pravi excrementi expulsionem, concoctionem & ulceris unionem speramus, eo tempore sunt maximè fortes; deinde quia constitutionis sunt mollis, laxæ, magis resolubilis, & ad eluenda ulcera consolidandaq; magis dispositæ, in eā enim ætate soluta facilius conglutinantur, solidæq; regenerantur.

Senes verò non faciliè tabidi evadunt, quia sanguis eorum ætate senili exhaustus, totumque corpus frigidum redditum est, ac cautè vivunt. Sin minus rectè vixerint, etiam in tabem abeunt, ob destillationes efferas; sed difficulter curantur, quia calor natus ipsorum imminutus, corpus durum, non resolubile, & ad expurgationem consolidationemque minus aptum. *Muliebris* autem *sextus*, pro virili, hanc affectionem patitur, ob humorum excrementitiorum abundantiam, qui cum à naturâ non concoquantur, putredinem concipiunt, acrimoniamque non levè acquirunt, & ad molliorem & laxum pulmonem detrusi ulcus excitant; Deinde etiam à menstruis suppressis, lochiisque ab utero ad thoracem regredientibus vasa pulmonis

sepius rumpuntur, à quibus subsistentibus quàm plures neglecta sanguinis missione per venas inferiores tabidas obisse, appositis historiis Gal. l. de V. S. adversus Erasistr. confirmat, & Hipp. 2. prorrh. Mulieres & Virgines, quando quidem menstrua non fluunt, vix unquam servari aperte fatetur.

RATIONE PARTIUM ANNI: Quemadmodum enim autumno morbi in universum acutissimi & funestissimi, ita etiam tabidis perniciosissimus esse solet, ut docet Hipp. 3. Aph. 10. Autumnus tabidis malus. Is enim suam inæqualitatem ad plurimos morbos disponit, matutino enim tempore aer frigidior existit, circa meridiem æstus, vesperi iterum frigus dominatur, estque Phthisicis pulmonibus naturam languidis præditis calamitosus, ferinam enim destillationem, acresque catarrhos anomalia seu inæqualitate suam auget. Idem 3. Aph. 22. Autumno multos æstivos morbos in hominum vitam invadere, febres quartanas & erraticas & Lienum tumores, aquam intercutem & Tabem &c. Et Heurn. in comm. Autumnus est inæqualis & morbiferam repentinam caloris, frigoris, humoris & siccitatis mutationem, ideoque omnis cacochymiae parens & vitii per æstatem concepti conservator; effluxum enim succorum æstate genitorum cohibet.

PRÆSAGIA RATIONE LONGITUDINIS & BREVITATIS. Ulcus ex erosione in pulmone factum ferè insanabile esse, & diuturno tempore curari Gal. 5. M. M. c. 14. docet, quando his verbis erumpit: Ex iis verò, qui ulcus in pulmone habent, ii demum insanabiles mihi videntur, qui ex succi vitiosi erosione id possident. Nam longo arbitror tempore omnino opus esse, ut succi corrigatur vitium. Idem eodem c. 8. quod phlegmone accessa exigua sanationis spes adsit, ante verò phlegmonis invasionem, facili negotio & brevi temporis spatio Ulcus posse sanari fatetur. Quod ipsum insinuavit etiam Hipp. 1. de morb. S. 2. t. 14. Ubi Phthisin morbis longis annumerat, & Avicenna huic opinioni ad stipulari videtur, quando sic inquit: nonnunquam accidit Phthisico, ut ejus vita extendatur à Juventute ad Senectutem: Est itaque hic morbus sive curabilis, sive incurabilis, diuturnus & longus, multosque interdum

in annos protrahitur, quemadmodum *l. 3. Fen. X. Tract. V. c. XLIX* scribit, se vidisse mulierem, quæ vixerit in *Phthisi* circiter viginti tres annos. Et aliam semper assistentem igni locisque sic-
eis, *furnaria enim erat*, tabidam plus quam 28. annis perdurasse, laboresque suos pro more solito exercuisse refert *Matth. de grad. c. LIV. comm. IX. lib. Rhasis ad Almansorem*: Cujusmodi historias plures videre licet apud *Forestum*, & *Schenckium l. 2. Observ. Med.*

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ SALUTIS & MORTIS. Si *Phthisis* non sit *confirmata*, sed *incipiens*, æger robustus & nondum macie confectus, viribus adhuc constantibus, morbus non hæreditarius, sive à parentibus per semen, aut sanguinem alimentarium connatus, si non sit ex ulcere in pulmone facto; spes quædam salutis affulget. *Hipp. 2. prædiçt. sex convalituri signa recenset*; Eum, inquit, qui probè levare volet, convenit sputum facillè tussi rejicere, esseque album & æquale, unius coloris & sine pituita. Quod autem à capite defluit, ad nares pellatur, neque febrisprehendat, ut nec aliàs cibos impediatur, neque sitim faciat. Alvus quoque quotidie suo fungatur officio, & quod dejicit, durum esto, & iis, quæ assumuntur, conveniens. Hominem quàm minimè macilentum esse prodest. Pectus verò convenit quadratum & hispidum cujusque cartilago exilis & admodum carnosa est. In quo namque hæc omnia inerunt, is maximè superstes futurus est. Sed qui nihil horum habuerit, exitio est quàm maximè affinis. *Mortis futura indicia quoque varia sunt, & quidem*; A puris sputo *Phthisis* & fluxio, cum verò retentum fuerit, moriuntur *7. Aph. 16.* Tamdiu enim *Tabidi* vivunt, ut *Gal. in comm. addit*, quamdiu sputa extussire possunt, cum verò ipsa retinentur, respirationis ductus obstruuntur & ita suffocantur. *Hipp. V. Aph. XI.* Quum tabi implicitis quod tussiendo excluditur sputum, graviter oleatur, dum carbonibus ardentibus infunditur, capilli que defluant, funestum. Quod etiam confirmat *2. coac. prænot.* sic inquit, *Tabidi*, quorum sputum igni impositum gravem nidorem redollet, & capilli è capite defluunt, moriuntur. Sputum enim sive per se graveoleas sit, sive carbonibus injectum sæceat, extremã

humorum & pulmonis putrefactionem & sanie[m] superfluam ostendit. Defluxus autem capillorum, defectum alimentorum, naturalis facultatis retentricis imbecillitatem, nec non humorum corruptionem, & per consequens mortem significat. Gal. in comm. 2. de sympt. caus. 6. 7. Aph. comm. 2. 4. de simpl. med. fac. c. 22. 1. prog. c. 46. 6. Aph. comm. 34. Pergit verò Hipp. V. Aph. XII. Quibus Tabes laborantibus capilli e capite decidunt, alvi profluvio superveniente moriuntur. Idem etiam ab eodem l. 2. præn. Coac. affirmatur. Et Galenus in comm. defluvium capillorum superveniente alvi profluvio dicit malam causam, & lethale esse illorum signum, qui morti vicini sunt, quia omnium virium, imprimis retentricis facultatis summam imbecillitatem, partium solidarum colliquationem, & pulmonum *vinegar*, que mortem minatur, ostendit. Celsus l. 2. c. 28. Quod & Aph. XVI. ejusd. l. confirmat; Si tabe detento profluvium alvi superveniat, lethale. Quia facultas naturalis & retentrix primariorum viscerum, Cordis, Ventriculi & Hepatis à Pulmonibus putridis ita læsa est, ut retinere debito modo nequeant. Si nugari & delirare incipiat, ob puris retentionem lethale. Hipp. Coac. præn. 437. Sputorum retentiones in tabescentibus mentem ad delira verba commovent. Quando itaque hæctricæ, ut sputum sive per se, sive igni impositum graveolens, capillorum defluvium, sputi retentio cum profluvio alvi coeunt, pro lethali presagio certò sunt habenda. Ubi ad extremum *Phos* pervenit, calore febris cuncta fiunt acerbiora: unguis incurvantur, obsumptò scilicet carne, que in summis digitis hærebat, unguis que firmabat. Extrema calore langvescente intumescunt; quòd ob virtutis imbecillitatem permulti generantur *hemores crudi*, qui tandem in pedes procumbunt: nonnullis retentricis facultatis læsione, humorumque corruptione *diaraba* succidit, sputumque ob virium imbecillitatem retinetur, atque ita toto corpore consumptò, diem obeunt.

CURATIO nunc sequitur; Sed cum difficillimè, aut potius nullà ratione *pulmonis ulcera* curari possint, ut ipse Gal. tradit, supervacaneum fortè videbitur, illius morbi curationem præ-

præscribere, qui curatu impossibilis habetur. Plurimum ta-
men nonnulli, ut *idem* §. *M.M. c. 14.* habet, qui Medica præsidia
adhibuerunt, lucrificerunt, ut nimirum ulcus nec ultra pro-
grederetur, nec majus efficeretur, sed siccatum calloque obdu-
ctum hominem longiori vitæ relinqueret. Nullius itaque
curam negligemus, imò etiam eorum, qui incurabiles æsti-
mantur, aggrediemur curationem, cum non raro accidat, ut
illi interdum, qui ab omnibus pro desperatis habentur, curen-
tur, & licet non omninò sanitati restituantur, vitam tamen ap-
propriatis medicam. adhibitis in multos annos producant, ut
testatur *Matth. de gradib. in 9. Rhas. c. 54.* & *Avicenna l. 3. fen. tract.*
§. c. 18.

Hoc morbo itaque affecti non prorsus sine remediis
auxilio sunt relinquendi, sed eò omnibus viribus annitendū,
ut exploratum habeamus, quomodo regendi, tractandi, & si
non integrè sanitati restituendi, quibus mediis saltem præ-
servandi sint, ut longiori vitæ reserventur: ut itaque in omni
morbo, ita quoque in *Phthisi* ad tres *Indicationes* animi oculos
reflectimus; *Prima, Curatoria* morbum ipsum respicit, & sa-
nandum ulcus præcipit: Ulcus enim tanquam indicans prima-
rium & fons hujus affectus, quo sublato, omnia symptomata
cessant, corpusque iterum incrementum sumit, inprimis est
abstergendum, mundificandum, putrilagine exsiccata unien-
dum & pulmonis caro regeneranda. Videndum igitur, ne ul-
cus dilatetur & latius serpat; sed ut ad minimum callo, si non
integrè consolidari valeat, obducatur, seduloque cavendum,
ut accedenti plerumque inflammationi obviam eatur, Phleg-
mone enim invalescente, Febris augeri, ipsaque ulceris curatio
difficilis reddi solet. **PRÆSERVATORIA** causas respicit,
sanguinisque acridinem demulcendam, catarrhosque à ca-
pite defluxiones avertendas, aliosque, qui vel excitare ulcus
adeò fædum, vel fovere valent, errores corrigendos esse indi-
cat. **VITALIS** vires respicit, ne labascant, aut quovis modo
debilitentur, sed ut partes tam spermaticæ, quam sanguinæ
corroborentur; Pulmo igitur per appropriata confortandus,
cordis intemperies calida temperanda, caput & cerebrum à

catarrhosa dispositione liberandum, totius verò corporis macies humectantibus atq; restaurantibus reficienda. Quæ Indican-
tia quoniam non uniusmodi, sed summè contraria, difficilem
reddunt Curationem, quare notandum, ne dum uni mederi
volumus, alteri noceamus. Et quoniam, cum duo morbi con-
iuncti sunt, ejus major ratio est habenda, qui majoris est mo-
menti, & à quo cæteri pendent; Itaque & hic præcipua cura
Ulceris est habenda, à quo nempe Febr. & Extenuat. pendent,
deinde refrigerantibus & humectantibus alimentis benè & ci-
tò nutrientibus corpus macie confectum, caloreque lento ex-
siccatum reficiendum est: totaque curatio ita temperari debet,
ut una parte ulceri extergendo, mundificando & exsiccando;
alterâ parte verò corpori extenuato restaurando, & carnem re-
generando morbum tollamus. Depromimus itaque auxilia ex
tribus usitatis remediorum fontibus, quorum,

I. ΧΕΙΡΟΤΡΗΚΟΣ. Ex quo fluit *ι. φλεβοπημία*, quam in
principio, *Phthisi* scil. incipiente, conducere non infimæ eru-
ditionis Medici existimant, ubi nempe adhuc larga in corpore
sangv. copia continetur, viresque integræ, nondumque
dissipatæ sunt; nam ventilat viscera, sanguinem biliosum de-
trahit, qui ad partes ulceratas confluens de novo concitat pro-
fluvia, ulcera dilaniat, & valdè exasperat: *Basilica* igitur sectio-
nem putamus maximo fore auxilio, si fortè sangv. sputum à
plethoricâ constitutione initium morbo dederit: quo in casu
viribus debilitatis ad manuum venas confugiendum. Quod
si autè à consuetis sangv. evacuationibus intermissis, suppressis
mensibus, hæmorrhoidû fluxionibus &c. oriatur; Isthic quidè
venæ pedis; Hic verò Hæmorrhoidum apertionem consule-
mus. In consummatâ verò *φθισι* cane & angve pejus fugienda
V. S. omnia enim sunt extenuata, & vires ita debilitatæ, ut ne
minimâ sanguinis M. ferre possint, quod & *Massarias* confir-
mat *l. 2. Pr. Med. c. 7.* sic scribens: Tabidis propter debilitatem,
virium, & ob alias manifestas rationes nullum vel sanguinis
missioni, aut alicui insigni evacuationi locum superesse.

CUCURBITULÆ scarificatæ, quæ seroso sanguini eva-
cuando commodissimæ videntur, etiam V. S. vicem supplere
pos-

possunt, præsertim ubi vires imbecilles: *Ventosa* quoque i. e. *Cucurbitula sine scarificatione* revulsionis & derivationis humorum gratiâ brachiis, femoribus applicantur.

VESICATORIUM adhibuit *Gal. 5. M. M.* in illa *Nobili Romanâ* hoc modo: Canthar. abscissis alis & capit. ʒj. Caricar. pingv. Noj. Fermenti parum cum aceto scillitico fiat pasta, & manè abraso capite supra futuram coronalem imponatur, ubi per horas II. excitaverit vesicam, acu rumpatur, locusque butyrô inungatur, superimposito fol. caul. supra cineres calefacto manè & vesperi, ne partes iterum uniantur.

FONTICULI etiam *Cauterio Actuali* eodem in loco abrasis prius capillis, ferrô candente inuruntur, qui plurimum faciunt ad corrigendam frigidam cerebri intemperiem, catarrosque miris modis minuunt. Quod auxilii genus licet abominandum videatur, est tamen tutissimum, & sine noxâ adhiberi potest, plurimos enim hoc remediô ad thoracem delabentes catarrhos compescimus & intercipimus: Verba sunt *Heliæ de Paduanis cons. 7. l. 3.* Qua de re diversas Authorum sententias videre est apud *Job. Baptist. Montanum Consult. 36. Ludovicum Septalium Lib. VI. animad. 107. Marc. Aurel. Severin. lib. II. Pyrotechn. part. I. c. 11. Zacut. Lusit. l. I. observ. 16. comm. in hist. princip.* Non minori cum utilitate iidem in brachio alterutro, vel etiam utroque inter bicipitem, & musculum delthoidem, poni & aperti servari solent, ut fluxiones intercipientur, ne ad pulmones deferantur: Quod etiam *Clar. Senn.* consulere videtur, quando *l. 2. p. 2. c. 8.* sic inquit: Si diuturna, nullo tutiore inter initia remedio materia avertitur, quàm Fonticulo in altero vel utroque brachio aperto. Exulcerationem cutis ferrô candente sub menthò & in gutture factam, ita ut ulcera aperta teneantur, tam diu donec tussis desinat, commendat *Celsus l. 3. c. 22.* Celebris est etiam historia apud *Zacut. Lusit. l. 8. c. 8. observ. 5.* de quodam Phthisico, qui excitatâ fistulâ juxta os sternum ab initio quidem pro moribundò relictus, pingviculus tamen factus vitam in 14. annos protraxit, tandem superveniente sangv. sputo anno ætatis 64. è vivis excessit. SETACEUM commendat *Hier. Fabricius ab Aquapend. & Claudinus consil. 13.*

D quod

quod ipsum in catarrhosis ad pectus defluxionibus usum præ-
stare maximum posse arbitramur.

BALNEA & FRICTIONES etiam non inutiliter insti-
tui solent; Phthisicorum enim Febri etiam est invigilandum,
cujus acres humores balneum temperat, æstuantem viscerum
calorem demulcet, connutrit, quia arctas præ calore vias rese-
rat, ut per eas patentes nutrimentum ad distantissimas penetra-
re corporis partes possit, sputum faciliat, somnum procurat,
quibus recreata natura, optimò regeneratò sanguine ulcus
conglutinat, & carnem deperditam regenerat. *Zacut. Lusit. l. 8.*
c. 10. commendat balneum lactis, & prodigiosam de quodam
lactis balneo curato historiam narrat. Cavendum verò ne
balneum concedatur iis, qui ex sangv. sputo in Phthisin inci-
derunt; Nam illis sunt noxia, quibus sanguis fluxit aut fluxu-
sus est. *3. ac. 59.*

FRICTIONES videtur *Celsus* svadere, quando inquit
ipsas trahere alimentum ad partes emaciatas, fieri verò debere,
manu ol. liliaceo inunctâ, & molliter, ne alimentum attra-
ctum dissipetur.

II. ΦΑΡΜΑΚΕΙΑ varia suppeditat remedia, tam ad con-
solidationem ulceris, quam ad causæ morbificæ sublationem,
pulmonumque & principum partium confortationem neces-
saria. Inter quæ non ultimum obtinent locum EVACUATORIA,
quæ peccantes humores educendo maximum adferunt huic
morbo adjumentum.

Evacuantur verò humores medicamentis non fortiter
purgantibus, sed lenibus, quæ simul thoraci & ulceri prodesse,
fluxionemque avertere possunt. Nulli forti evacuatio-
ni locum concedit *Alex. Massariæ*, neque alia ipsi probatur
purgandi ratio, quam quæ fit per molles clysteres & nonnulla
lenissima medicamenta, quæ simul caliditatem & siccitatem
febris mitigant. Quod si tamen aerium humorum pertinaces
ad pectus affluxiones morbum Febrimque augeant, minusque
obedientes sint lenibus auxiliis, dubium non est, quin ad for-
tiora purgantia accedere sit consultum. *Galenus* in sistendo flu-
xu & catarrho salso fortioribus expurgavit pilulis, quia tales
le-

lenibus non cedunt, & usus est Colocynth. Helleb. & aliis fortioribus; Non temerè tamen ea sunt exhibenda: nam in his morbis nihil deterius alvi profluvio, quod per forte medicamentum facile excitari potest. Quod tristi exemplo testatur *Trincavellius l. 2. Consil. X.* sic scribens: Ex familiâ Juriana Veronæ Vir nobiliss. præteritis mensibus ex sumptô forti pharmaco, quod ipsi Medicus publ. hîc docens, cùm putaret ipsum putridâ laborare, exhibuit, Tabidus incidit in fluxum alvi & obiit.

LENITER ALVUM EVACUANTIA sunt, Cassia, manna, Rhabarb. Syr. ros. viol. solutiv. Jus Galli antiq. in quo est manna dissol. Rhabarb. cum infus. Ros. & feri caprini, Rhab. cum passul. maj. Syr. Viol. sol. cum decoct. borrag. & capill. veneris, vel tale posset præscribi

R. Rad. liquirit.

Enul. an. ʒiij.

Sem. anisi.

fenic. an. ʒj.

Fl. Viol.

buglos. an. p. j.

Passul. Enucl. ʒß.

Ficum ʒj.

Dactyl. pingv. No. VI.

Fol. Senn. elect. SS. ʒß.

F. decoct. in aq. Veronic.

Scabios. an. s. q.

In colatur. ʒv. dissolv.

Mann. calabr. ʒj.

Iterum coletur, addendo

Cremor. ♀ ʒj.

Spir. Oli g. ij.

Aq. cinam. ʒß.

M. pro Haustu.

R. Extr. Pilul. Cochiar.

de Agaric. an. ʒß.

Resin. Gialap. gr. iij.

Ol. succ. destillat. g. ij.

Cum aq. Veronic. F. Pilul.

No. V.

R. Syr. liquirit.

Hysop. an. ʒiij.

Ros. solutiv.

de cichor. c. Rhab. an. ʒß.

Resin. scammon. gr. vj.

M. ad vasculum

S. Laxiersäftein.

CLYSTERIBUS quamvis acrioribus magis insistendum esse arbitramur: Illa enim præter evacuationem omnium sordium nimiam quoq; caliditatem & siccitatem corporis restringunt.

D 2 R.

Rx. Herb. Malv.
Parietar.
Mercurial.
Veronic. an. Mj.
Rad. Alth. ℥j.
Ireos ℥ii.
Sem. Anis.
Fenic. an. ℥iij.
Passul. maj. ℥j.

Caricar. pingv.
Jujub. Sebest. an. No. vii.
Fol. Senn. ℥ss.
Coq. in s. q. aqv. comm. Co-
lat. ℞. j. adde
El. diacathol. ℥j.
Diaphenic. ℥ss.
Ol. aneth. ℥j.
Sal communis ℥jss.
F. Clyster.

VOMITORIA tanquam maximè perniciofa hoc in affe-
 ctu rejiciuntur. Hipp. 4. Aph. 8: Tabidorum rationem esse ha-
 bendam, ait, neq; purgationem iis per superiora unquam mo-
 liendam. Cum enim ad vomitum fortis requiratur motus,
 quo pulm. ulcus non consolidatur, sed augetur, & quàm ma-
 ximè dilaceratur, imò vasa, quia debilia, facilè rumpuntur.
 Quemadmodum enim foeminae hystericae, si asthmatica fuerit,
 non oxymel exhibemus, quod acetum hystericis sit aduersum,
 etiam si asthmati sit convenientissimum: Ita in Phthisicis
 quamdiu vincit sympt. magnitudo & periculi metus, quamvis
 bile abundet, & ad ejus vacationem æstus svadeat, nunquam
 tamen universalis purgatio per superiora præscribenda est:
 quin utiliùs prorsùs à Vomitoriis abstinere, quam ea Tabidis
 vel naturâ ad eam inclinantibus exhibere.

Præmissis sic UNIVERSALIBUS Evacuationibus ad PAR-
 TICULARES est accessio faciendâ, ut sunt ERRHINA, quæ
 pituitam circa meninges & cerebrum per nares expurgant, talia
 fiunt ex major. puleg. Rut. Brass. Beta, Orig. rad. Ireos &c.

Rx. Succ. major.
Betonic. an. ℥ii.
Nicot. maris.
Puleg. rec. an. ℥vj.
Agaric. Trochisc. ℥ii.
Medull. sem. cartham. in
petiâ ligat. ℥x.
Infund. in s. q. aq. Melis. stent per
noctē colata abstrahantur ad
consist. Extracti liquidioris.

Rx. Succ. Beta.
major.
heder. an. ℥j.
Mann. Elect. ℥iij.
Colata cum Bombace
attrahantur per Na-
res.

STER-

STERNUTATORIA, quia fortiora, cerebrumque motu suo irritant, ut etiam eorum vi humor altiùs immerfus excutatur, non sunt concedenda.

APOPHLEGMATISMIS & MASTICATORIIS, quamvis in diuturnis capitis fluxionibus & affectibus insignem usum habeant, hinc parùm adscribimus: quòd quibus oris interiora, guttur, gula aut larynx ulcerata sunt, & qui aliàs destillationibus ad pectus obnoxii sunt, id genus remedii valdè periculosum. In talibus enim materia affluens potiùs aliò derivanda, quàm allicienda est.

His præmissis ad ipsius ulceris curationem accedendum, variaque ALTERANTIA sunt in auxilium vocanda, quæ tamen non ejusdem generis ubique conveniunt.

Si enim à tenui catarrho ad pectus delabente foveatur hic affectus, INCRASSANTIA præcipuè desiderabuntur, quorum tamen in usu cautione maximà opus, ne nimià incrasatione materiæ in Thorace contentæ ab eodem educationem reddamus difficiliorem; Eritque hoc in casu opera danda, ut capitis robori simul consulatur. Exhibeantur itaque quæ sequuntur, vel similia.

<i>Rz. Conserv. Rosar. rubr. antiq. ʒß.</i>	<i>Rz. Sp. diatrag. fr.</i>
<i>Betonic.</i>	<i>Sem. pap. albi.</i>
<i>Violar. an. ʒii.</i>	<i>Coriandr. preparat. an. ʒj.</i>
<i>Diacodü ʒiii.</i>	<i>Nuc. mosch. tost.</i>
<i>Spec. Dianth.</i>	<i>Thuris.</i>
<i>Diatragag. fr. an. ʒii.</i>	<i>Mastich. an. ʒß.</i>
<i>Ocul. 69. preparat. ʒj.</i>	<i>Trochisc. de Carab. ʒj.</i>
<i>Succ. preparat.</i>	<i>Ambra gris. gr. x.</i>
<i>Boli arm. preparat. an. gr. xviii.</i>	<i>Sach. in aq. scabios.</i>
<i>Tinctur. corall. ʒj.</i>	<i>Soluti ʒvj.</i>
<i>Cum Syr. jujub. q. s.</i>	<i>F. l. a. Rotula.</i>
<i>F. Electuarium.</i>	

Ulceris curationem dum respicimus, cum plures Indicationes concurrant, illi utrique primo satisfaciendum erit, cujus Indicante persistente reliqua exterminari nequeunt. Quoniam itaque docente Galeno 3. meth. 9. neq; quicquam glutinari, ne-

D 3 que

que carne impleri possit, priusquam fuerit purum: sanationem
ulceris à sordium remotione auspiciandam esse iudicamus. DE-
TERGENTIA itaq; & MUNDIFICANTIA hinc præcipuè ad-
hibenda, quibus tamen pulmonem roborantia semper ad-
denda.

Rx. *Herb. Pulmon*

Scabios.

Botryos

Hyssop. an. Mß.

Rad. Ireos Flor.

Liquirit. ras.

Enul. an. ʒß.

Sem. Anis.

Fenic. an. ʒj.

Fujub. Sebest. an. No. V.

Caricar. No. Vj.

Coq. inf. q. aq. mulsa

In colat. ʒvii. dissolv.

Loch. de Pino.

San. & exp. an. ʒv.

Sach. Ros. q. s. ad

gratum saporem.

Rx. *Looch ad Asthm. Mesu.*

de Pino an. ʒij.

de pulm. Vulp. ʒii.

Syr. Fujubin.

heder. terrestr. an. ʒß.

Sp. ♁ camp. g. x.

M. F. Looch.

Rx. *Spec. decoct. pect. ʒß.*

rad. glycyrrh. ras.

Cichor. an. ʒiiij

Sem. melon.

anis. an. ʒj.

Coq. inf. q. aq. font.

Colat. ʒiiij. adde

Syrup. jujub.

acetos. citr. an. ʒvj.

Misce.

Purgatò à sordibus suis Ulcere & mundificatò, ultimum,
est, ut CONSOLIDANTIA, quæ glutinandi vi prædita, non
negligantur. Inter illa *Conserva Rosarum* cæteris omnibus
communi omnium consensu palmam præripit: Sed observan-
dum tamen, ne in principio nimis antiquâ ob summam ad-
stringendi & incrassandi vim, utamur, sed recentiore, in qua
abstergendi facultas major, adhibeamus, ut etiam *Mesues* opti-
mè monet, qui capite de Phthisi tres cautelas observandas esse
præcipit; prima est, ut *abstergentia* præmittantur, ac proinde
Conserv. Ros. rec. quia in eâ plus succi & vis abstergendi major,
adhibeatur. Secunda, ut *quantitate magna*, imò cum cibo &
potu exhibeatur; Tertia cautela est, ut, si interdum sputum ob
ejus usum retineatur, aut difficilis respiratio inducatur, Syrup.
Hyssop. aut aliò expectorante aliquo promoveatur. Neq; tamè
ad-

adstrictio ejus adeo magna est, ut succos incrasset, vacuationi q̄;
 ineptos reddat, nam caliditate, nec non tenuitate non omnino
 spoliatur Rosæ, ut ex *Gal. Dioscoridisq̄*, imò & recentiorum
 mente constat aperte. Prioribus itaque monitis ritè observatis,
Conserv. Ros. cor roborat, abstergit, pectus mundificat, tabique
 mirificè auxiliatur, bilem furentem refrænât, sanguinem puri-
 ficat, refrigerat, somnum procurat, leniter mollit alvum, hu-
 mectat, nutrit, æstuosis febribus remedio est, & viscerum inter-
 norum caüma compefcit, roburque iis addit.

Avicenn. l. 3. F. 10. tr. 5. c. 5. meminit mulieris Phthisi laborantis
 jam deploratæ & morti proximæ, quæ non tantum usu *Sach.*
Rosac. revixit & sanata, verum etiam impingvata est, ita ut etiã
 impossibile ipsi sit, referre summam ejus, quod comedit de *sach.*
Rosaceo. *Galen* commendatione *Sach. Ros.* celebratur, quod sin-
 gulis diebus in quantitate permagnâ, etiam cum cibo & potu
 fumendum præcipit. Uti sunt eò plurimi, & non est compre-
 hensibilis ipsorum numerus, qui mundificationibus prius præ-
 missis, cõtinuò ex ejus usu sanitati sunt restituti, *Mesu. c. d. Phthi-*
si. Refert *Montanus* se quendam à Veronensibus Medicis Vene-
 tias missum, qui duas scutellas puris exspuisset, solo *sach. Ros.*
 curasse, idque dedisse in majori dosi, ita ut ferè nihil aliud ede-
 ret, & Pharmacopolæ ipsi amplius id vendere nollent, sed aliũ
 de afferre eogeretur; *Crato in cons. 152.*

Rx. *Conserv. Ros. rubr. ʒii.*

Veronic.

Scabios. an. ʒß.

Bol. arm. preparat.

Lap. Hamatit. preparat. an. ʒj.

Terræ sigill. preparat.

Pulm. Vulp. preparat. an. ʒii.

Cum Syrup. de Symphit. &

Myrtino

F. Electuar.

Rx. *Conserv. Ros. rubr. ʒii.*

Cond. Rad. Symp.

Lactuc. Hisp. an. ʒß.

Pulv. Haly. con. Phth. ʒii.

Pulm. vulp. preparat. ʒii.

Lact. ʒß.

Cum Syr. de Consolid.

& sach. ros. tabul. q. s.

F. Electuar.

Commendatur miris modis à quibusdam *Stratiotidis. Mille-*
folij decoctum vel extractum, quod glutinandi Pulmonis ulcera
 potestatem mirificam obtinere tradunt. Recentiores *Potiones*

vul.

vulnerarias hinc referunt, & Lignorum decocta, Ligni sancti, Sassafras, Santalorum, rad. Sarsæ. Inter quos sunt *Phil. Ingrass. in consil. pro Duce Terræ novæ. Francisc. Arcaus l.ii. de cur. vulner. c.2. Thom. Erastus l.III. conf. Scholtz. l.8. Heurn. comm. in V. aph. 9. & alii*: permoti sine dubio Gal. autoritate, qui plurima annotavit medicam. siccantia, quib. tum se, tum alios ad ulceris sanationem feliciter usos esse scribit, *III. Meth. 4.* Idem tentare decocto ligni Ebeni non est veritus *Zacutus Lusit.* & felicissimum res nata. successum, ut ipse testatur *Lib. II. comm. in Hist. Pr. Med. 33.*

Rx. Ligni Guajac. rasp.

Sassafras.

Juniperin.

Ebeni an. ʒβ.

Rad. Sarsapar.

Symphyt. an. ʒii.

Tussil. cum toto Mj.

Sem. anisi.

fenic. an. ʒii.

Passul. major.

minor. an. Mj.

Coq. in s. q. aq. fontan.

ad Bii.

Colatura add.

Syr. Fijubini.

Portul. corallorū an. ʒj.

Tinctura violar. cum sp. ʒ par.

& Sach. canar. edut. ʒiiij.

ad Gratiam saporis.

Medicamenta ex ♁ parata, ut Flores, Lac, Balsamus, Tinctura, Spiritus, suam etiam laudem merentur, tum per se, tum aliis permista: In ♁, inquit *Paracelsus de vitâ longâ lib. 3. cap. 7.* est Balsamus, in eò sunt liquores Balsami, qui nihil neq; vivum, neq; mortuum putrescere sinunt; sed corpus ita conservant, ut nulla neque influentia, neque naturalis corruptio, vel impressio in eò deprehendi possit.

Non exigua etiam speranda videtur utilitas ex LACTIS fructione, quod & *Clar. Sennertus, Alex. Massarias, Hier. Mercurialis, Zacutus Lusitanus* & ferè omnes unanimi consensu Medici cum ipso *Gal. 3. de alim. fac. 16.* fatentur: Nullum salubrius & præstantius remedium in Phthisi reperiri, adeò ut nonnulli existimaverint, quod plurimi Phthifici solo illius usu curati fuerint, si modò antequam ulcus latius & callosum fiat, illud adhibeatur. Præterquam enim quod LAC dulcium & butyracearum partium ratione omnium optimè nutrit, & a trimoniâ humorum emendat, id quoq; obtinet, quod ulcera pulm. ab-

ter-

tergat, & conglutinet: adeo ut nihil videatur deesse, quod ad
Phthisin curandam requiritur. Hoc verò omnium utilissimum
esse, cum ex ipsis mammillis quis hauserit, *Eryphon*, & *Herodo-*
tus & *Prodicus* censent, qui in eo ad corpora reficienda tantam
fiduciam collocarunt, ut etiã qui *Phthoë* contabuerant, ex ipsa
mulieris papillã lac sugere juberent. Verum, cum hoc plurimis
non arrideat, melius est calidum adhuc ex mammillis, quã
ocysimè ægro offerre. *Gal. 7. meth. 6. & 5 Meth. 12.* Est verò se-
cundum veterum sententiam lac omniũ optimum *humanum*,
quod naturæ nostræ familiarissimum est; Huic succedit *Asini-*
num, quod post muliebre, hoc morbo affectis utiq; conveniet:
quippe cum tenuissimum, & minimè coagulatur, & quoquo
versus ocysimè in corpus digeritur. Tertium locum obtinet
Lac caprinum, quod inter lac vaccinum tanquam crassius, & *Asi-*
num, quod tenuius, medium existit. *Gal 5. meth. 12.* Quod et-
iam *Avic. 10. 3. tract. 5. c. 5. maximè placet*, ob quandam, quã vi-
detur præditum, adstringentiam. *Vaccinum* ultimum locum
habet, & quia crassius, plusque caseitatis, quã serositatis in se
continet, magis consolidandi gratiã, quã abstergendi adhi-
betur. Non inconueniens verò erit, si capra, aut aliud animal
in accommodatis, & huic morbo congruis pascuis alatur, in
locis nimirum editis, ubi reperiuntur herbæ & frutices, quæ si-
mul vim adstringendi *lacti* communcent, qualia in *Tabiis* pa-
scua fuerunt, ut habet *Gal. 5. m. m. 12.* Herbæ verò quibus alan-
tur animalia, sunt, *Agrestis Lothus*, *Polygonum*, *Melissophyl-*
lon, *Veronica*, &c. Frutices, *Lentiscus*, *Arbutus*, *Hedera*, *Cy-*
tifus atque alii his similes. *Gal.* etiam paucillum mellis, ne
coaguletur in ventriculo, lacti admisceri jubet, nonnunquam
aliquid salis, ut eò citiùs ad fundum alvi descendat, sed loco
mellis paululum sacchari adjicere jucundius esse puto. Caveat
verò summoperè à *lactis* usu, qui capite & putridã laborant,
ventriculum debilem habent, flatùs & hypochondria suspen-
sa, & quasi pendula sonitum edunt, ut ex *Gal. & Hipp. V. Aph.*
LXIV. constat; LAC Cephalicis exhibere malum, malum est
etiam febricitantibus, & quibus suspena quasi que pendula
hypochondria murmurant, & etiam siticulosi; malum est
E etiam

etiam quibus biliosa secedunt cum febr. acuta, & his qui sangv. copiam profuderunt: Sed consentaneum est *Tabidis* &c. Plura qui videre cupit de Phthificis, qui solo *lactis* usu & panis triticeii injectione liberati fuerunt, perlegant *Observ. J. Schenckij l. 2. & Zacutum Lusit. de Med. pr. hist. l. 2.*

Ob *Febrem* & *maciem totius* RESTAURATIONE aliqua magnoperè opus est, ut calor tollatur & caro regeneretur, quod commodè fieri potest per *Refrigerantia* & *Humectantia*. Ad Restaurationem corporis faciunt, quæ alimentum multi & optimi succi præbent, ut carnes & jura gallinarum, phasianorum, caponum, perdicum, decocta cancrorum fluviatilium & cochlearum nemoralium. Convenientissima hæc sunt, quæ omnibus scopis satisfaciunt, ulcus scil. abstergunt & consolidant, corporis emaciati partes regenerant, & instaurant, caloremque febrilem leniunt & tollunt: inter quæ *LAC* facilè primas tenet, quo etiam in Phthificorum morbo curando, ut *Galij. meth. 12. de alim. fac. c. 15.* docet, nihil præstantius datur, uti etiam pluribus de ejus usu antea dictum.

Commendantur hæc cibi ex pineis, pistaceis, hordeo, Amygd. dulc. seminibus 4. frig. maj. exortic. Gum. Arab. Tragac. Amyl. oryza & sacch. penidio. Convenit hæc pulv. Haly,

Ir. Papav. alb. 3x.

Gum. Arab.

Targacanth.

Amyl. an. ʒiij.

Sem. Portul. gossypii.

Malva an. ʒv.

Sem. 4. frig. major. excort.

Cydoniorum an. ʒvii.

Spodii prepar. Liquirit. an. ʒiij.

Sacc. Penid. ad pondus omnium.

F. Pulvis, dentur omni ma-

nè ʒii. cum Syrupo pa-

paveris aut Jujubæ-

rum.

Hic Pulvis convenientissimè etiam cum ptisana avenæ vel hordei, aut emulsione amygd. d. sumi, vel etiam conserv. Ros. utiliter misceri potest. Huic pulveri addi possunt pulmo Vulpis preparat. radix Ir. pulvis rorell. quam nonnulli miris extollunt præconiis: exsiccando enim putrilagines compe-

Me

Miraculi instar & seq. Elect. instaurat, & eos etiam, quibus dimidia pulmonum pars hoc morbo amissa vulgò creditur, incredibili modo juvare, quod

<i>Rx. Carn. perdic. coct. ℥ss.</i>	<i>veronic. ℥ss.</i>
<i>Limac. coct. ℥v.</i>	<i>In lapid. mortar. & simili pistillo contendantur, & mistis add.</i>
<i>Amygd. d.</i>	<i>succi Hypocistid. ℥v.</i>
<i>Pinear.</i>	<i>Spec. Diatham. Diarrhod.</i>
<i>Pistac. an. ℥j.</i>	<i>Abb. an. ℥iiij.</i>
<i>Passul. enucl. ℥x.</i>	<i>Macis ℥j.</i>
<i>Bol. arm. Orient. preparat.</i>	<i>Pulv. fol. sangvisorb.</i>
<i>Terr. sigill. preparat.</i>	<i>Corn. C. usti an. ℥ij.</i>
<i>Corall. rubr. preparat. an. ℥j.</i>	<i>Sach Ros. Tabell. ℥ss.</i>
<i>Gumm. Arab.</i>	<i>Cum Syr. Consolid. q. s. F.</i>
<i>Tragacanth. an. ℥jss.</i>	<i>Electuar. de quo hora unè</i>
<i>Sem. papav. albi ℥vii.</i>	<i>antè prand. sumat.</i>
<i>4. frig. maj. & min. an. ℥ij.</i>	
<i>Conserv. ros. consol. maj. an. ℥j.</i>	
<i>Fol. Hyperici Mj.</i>	

Pro Refectione & Restauratione solent etiam Morselli, Decocta, Aqv. Destillata, & alia medicam. genera componi. Hier. Mercurialis hos sequentes habet Morsellos, eosque summis, quod plurimum nutrimenti habeant, evehit laudibus, qui

<i>Rx. Carn. capon. ℥iss.</i>	<i>Caryophyll.</i>
<i>Testud.</i>	<i>Sem. fenic. an. ℥j.</i>
<i>Cancr. flux. an. ℥j.</i>	<i>Sacch. opt. in aq. Ros. soluti q. s.</i>
<i>Sem. papav.</i>	<i>F. l. a. Mors.</i>
<i>Nucl. pini, Amyg. an. ℥ss.</i>	<i>Horum dosis ℥ii. 3. hor.</i>
<i>Tragacanth. ℥iiij.</i>	<i>antè prand.</i>
<i>Cinamomi.</i>	

EXTERNA etiam hinc utilia sunt, imprimis si vapor aut halitus conveniens, suffimigia vel per os, vel per nares inspiratione attrahantur. Possunt medicam. convenientia in vino coqui, & eorum exhalationes ore excipi, aut attrahi; vel suffimigia parantur ex thure mastich. rosis asa dulci, myrrhâ, styr.

calamit. & fumum eorum inspiramus. Recentiores commendant fumum ex *Tabaco Indico* ore exceptum & inspiratione attractum *Phthificis* valde prodesse. Præterea *Dodonæus* scribit *Pempt. IV. l. V. c. XIX.* suffitum ex *Tussilag. fol. & rad. arid.* Phthificis mirum in modum convenire. *Dioscorid.* sulphur. crud. accensum laudat. *Aetius etiam Tetrab. 2. serm. 4. c. 67.* topica applicat; Et 1. Materiæ expectorandæ gratiâ adhibet. cataplasma ex *Althæa* & semine lini contusis, & cum decoct. malv. & fenugr. ol. & melle mixtis. 2. Materia tussi, quando expurganda est, Epithema ex terebinth. ol. irino, butyro, medulla cervi & adipe Tauri applicat. 3. Vulneris consolidandæ gratia, ol. ros. myrtin. cum acacia, malicoriô, hypoeist. alum. sciss. Gall. Sumach pectoris regioni inungit. Quidam Balsamo Δ pectus inungunt. *Cardanus* laudat inunctionem ex adipe viperæ, ob summam, quam obtinet, vim exsiccandi. *Unguentum pectorale* commune resumptivum locum suum sæpissimè strenuè tuetur.

Rx. Ung. dialth. c. gumm. ℥iij.

Balsami Δ .

de Peru an. \mathfrak{z} j.

Fl. Benzoin. \mathfrak{z} vj.

Sal. urin. volat. g. ij.

In Pyxide mundâ

S. Brustsalbe.

Emplastrum Diasulphuris ad ulceris curationem exterius applicitum itidem facere possit.

III. ΔΙΑΙΤΗΤΙΚΟΣ Fons sequitur, cui certè hoc in aff plurimum tribuimus, & in sex rerum NON-NATURALIUM administratione consistit, ubi se offert.

I. AER, qui temperatus, magis tamen ad siccitatem inclinēt, habitâ scil. ratione *Ulceris*, à quo *Febr. & Extenuat.* pendent. *Tabianus* apud *Gal. 5. M. M. 12.* primas tenet, qui siccus & internis ulceribus maximè conveniens est. Quamvis verò objici possit *montis Vesuvii* vicinitas continuò flammâs evoventis, caloris tamen vis, aliàs satis magna ob distantiam refracta, temperatur, siccitateque suâ putrilaginem absumit, & ulcus consolidat, ut testatur historia apud *J. Schenckium l. 2. observ. de muliere artem pistoriam exercente, quæ semper igni as-*

si-

sistendo, putrilagine ab ignis vi absumpta, vitam ferè ad 28. annos usque prolongavit. Aer etiam talis propè thermas sulphureas lignis nempè sicciorebus accensis parari potest. Aere marino quoque ulcera curantur: quemadmodum enim ulcera navigantium externa, ut scribit *Arist. in probl. de mari*, siccantur & facillè consolidantur, sic ulcera pulmonum tacta frequenter ab aere marino & salso sanantur, aut ad minimum præservantur; propterea etiam *Aretæus & Phthificis* navigationem tanquam utilissimum auxilium commendat, & eis ex *Italia in Ægyptum* navigare consulit. *Plinius cap. de Phthisi*, valdè laudat saltus, & loca in quibus pix nascitur, ut in iis *Tabidi* vivant; Ubi verò talia loca non dantur, ligna resinosa accendi, & aer suffitu convenienti, ut *Thure, Benzoe, Ladano, Santalis, Cinamom. Mastiche, Rosis &c.* emendari potest.

II. CIBUS sit *ευχρηστος*, facilis concoctionis, optimi succi, & sorbilis, ut ad longinquas partes eò facilius perveniat, & præ siccitate conniventes vias humectet: Ratione *Febris* infri-gidantes, & ratione *Ulcera* I. abstergentes cibi conveniunt, ut ptisanæ genera ex aven. & hord. II. incrassandi, & conglutinandi virtutem habentes cibi sunt offerendi, qui alimentum præbeant pingve & stabile, ut *Amylum, Oriza, alica & animalium extrema.* L A C facile præ cæteris commendatur, de cujus insigni usu antea. Laudantur carnes *Hædinae, Vitulinae, Gallinae, Aves:* Pisces saxatiles, ova sorbilia & alia, quæ sunt facilioris concoctionis. Carnes cancerorum fluvialium & testudinum nemoralium, item ranarum à plerisque maxime commendantur, quod scilicet ob crassitiem & lentorem consolidare creduntur. Quæ etsi quidem consolident, plurimumque nutrimenti crassi & lenti præbeant, difficillime tamen à debili *Phthiscorum* calore concoquuntur; Itaque succum aut decoctum earum carniū potius esse concedendum, existimamus cum *Clar. Sennerto.* Ex fructibus conveniunt amygd. d. pistac. & pineor. nuclei, zibebæ, prunellæ, passulæ maj. & minores *Corinthiacæ* dictæ, Abstineant à cibis acerbis & vaporosis, ut capis, alliô, porrô; vitent aromata acria. car-

nes sale conditas & fumo indutatas. Observandū quoq; , quod
sapiūs, & in paucā quantitate sint cibus reficiendi hoc morbo
affecti, ne calor eorum, & concoctrix facultas aliās imbecilla,
ciborum copiā obruatur. POTUS etiā sit correspondens, qualis
est cerevisia hordeacea & triticea: Ubi *abstersione* opus aqv. hor-
dei cū melle mista, vel decocta cum Glyzeriza & passulis cōve-
niunt: Ubi *consolidatione* opus, aqv. hord. cum sach. Ros. dissol-
vatur. Vinum etiam, sed oligophoron, aut aquā dilutū non-
nunquam offerre licet, præsertim si vires debiles, & Febris ca-
lor remissus; ulcus enim exsiccat, & ad puris ejectionem vires
corroborat.

III. SOMNUS & VIGILIÆ, utraque sint moderata, im-
moderata enim nocent, ut tradit *Hipp. II. Aph. 5.* Somnus & Vi-
giliæ utraque si immoderata existunt, malum. *Per Somnum*
enim cibi facilè concoquuntur, vires roborantur, ut æger mor-
bo sustinendo par esse possit. *Per nimias Vigilias* autem, calor
naturalis dissipatur, concoctio impeditur, vires deficiunt, calor
Febrilis augetur, morbidusque ita ad mortis fauces præmaturè
destruitur.

IV. EXCRETORUM & RETENTORUM non minor
ratio est habenda: Alvus sit lenis aut mollis, si dura & substite-
rit leniente aliquo medicamento, aut alimento medicamento-
so, movenda. Dejiciantur verò singulis diebus bis, aut ad mini-
mum semel excrementa. Urina non retinenda, sed quoties ur-
get emittenda, Sudor copiosus, valdè noxius est.

V. EXERCITIA etiam sint moderata, ante cibum lenis
inambulatio, à sumptō vero cibō quies cōvenit; vitetur omnis
motus fortis, præsertim post pastum, quia internū ventriculi
calorem dissipat, & ad ambitum corporis propellit, concoctri-
cem facult. impedit, vires debilitat, atq; adeò morbum non mi-
nuit, sed magis adauget. Imprimis vitandus est motus, licet le-
nis sub radiis Solaribus, calore enim Solis colliquantur, & hu-
mores capitis fluxiles redduntur, ut eò citiūs ad pulmones de-
labantur, eosque erodant.

VI.

VI. ANIMI ΠΑΘΗΜΑΤΑ fugiat, Tristitiam, Iram, Timorem, Curas, Solitudines, item Venerem & hujus generis affectiones similes: Sed sit animo hilari, sensus jucundis oblectentur rebus, suavibus colloquiis mens tristior demulceatur.

Secula laudabant sua Pergameumque Coumque,
Qui Medicâ insignes Arte fuere Viri.
Et merito; quid enim justam subducere laudem,
Invide Mome, pares, qui meruere, viris?
Et nos, presentes quos jam laudemus, habemus,
Qui Medicâ celebres non minus arte, Viros.
Vir quoque Tu clarus, convictor amande, futurus,
Horum qui pendes totus ab ore Virum.
Excipis & confers; & quid non? pergere perge,
Distichon atque sequens corde reponere tuo:
Si, nisi JENENSES qui aquaverit arte medendi,
Nemo peritus erit, nemo peritus erit.

Præstantiss. Dn. Respondenti, Med. Cultori strenuô,
Convictori & Amicô meo per dilecto
fausta gratulationis ergo ponebam
Joh. Zeifold P.P.P.

Herbis & verbis memorantur multa subesse.
Herbas dum tractas, nos bona verba damus.
Eximio Dn Respondenti gratulatur
Johannes Thomæ J.U. Doctorand.

Ad Eximium & Literatissimum Dn. Respondentem, Commensalem suavissimum, Fautorem & Amicum suum honoratissimum, dilectissimum.

More sit HEROUM, quibus est Victoria cordi,
HOSTEM porrectâ fronte subire suum,
Gnaviter invigilant irruptio quò caveatur,
Atque in conflictu fortiter arma gerunt,
Hostiles turbant acies & alacriter obstant,
Ne pejus damnum vis recidiva ferat,
TE dico HEROEM, BUCHORSTI, qui PHTHISIN HOSTEM
Non-vilem agnoscens, mutua bella paras.

*Insidias fieri Tibi sentis, hinc in apricum
Jam campum vocitas Hostem animosus acrem,
Illius monstras naturam vimq; latentem,
Armaq; suppeditas convenientia ei.
Euge valens pugna, PHTHISICA ut fiat PHTHISIS ipsa
Fac, Tus sic & ovans (quod volo) victor abi.*

Adfectus sinceri ergo ita ludebat
Johannes Casparus Beuttelius
Ambergâ-Palatinus.

Sactylisch Sonnet.

Was auff dem Kunden der Erden sich schwinget /
Was aus der Tieffen nur blinckert hervor /
Jedes sich kräftiglich hebet empor /
Auch des Geflügels Heer fröhlich durchdringet
Wüschel vnd Felder / sein Tirckli singet:
Aber / mein werther Freund / dieses doch weiche
Deinem Sinn / der zu dem Ehrenschoß fleucht /
Ja das schwarz-dücker Gen öckle erzwinget /
Biß es erreichet der Sonnen Gezele /
Die deinen Namen den Sternen ausbreitet /
Die ein Thor deinem Lob willig bereitet /
Daß es erschallt in die Weite der Welt /
Schwünd gleich der Glieder Pracht / röthliches Blut /
Steht hier ein Arzt / der es macht wieder gut.
Glückwündschend zu Ehren aufgesetzt von
Herman Friederich Körber.




ULB Halle
003 260 119

3



WCB







1647,6
6

^{21.}
D. O. M. A.
DISPUTATIONEM MEDICAM
De
PHTHISI,

Sub Præsidio
VIRI

Amplissimi, Excellentissimi, atq; Experientissimi

**Dn. CHRISTOPHORI SCHEL-
HAMMERI** Hamburgensis, Medicinæ D.
præclarissimi, Anat. Chirurg. ac Botan. Profess. P.
eminentissimi,

*Domini, Præceptoris, Evergetæ, Mæcenatis ac
Patroni sui omni honoris atq; summo observantia cultu
etatem prosequendi,*

Publicæ placidæque Philiatorum censuræ
submittit.

**GEORG-ALBERTUS Buchhorst/
Göttingâ-Saxo,**

*Habebitur ad diem 24 Julii in Auditorio Medicorum
Horis consuetis.*

J E N Æ

E Typographæo Weidneri,
ANNO MDCCXLVII.

